

Aeneid Book I lines 494-578

494. Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur,
495. dum stupet, obtutuque haeret defixus in uno,
496. regina ad templum, forma pulcherrima Dido,
497. incessit magna iuvenum stipante caterva.
498. Qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi
499. exercet Diana choros, quam mille secutae
500. hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram
501. fert umero, gradiensque deas supereminet omnes:
502. Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus:
503. talis erat Dido, talem se laeta ferebat
504. per medios, instans operi regnisque futuris.
505. Tum foribus divae, media testudine templi,
506. saepta armis, solioque alte subnixa resedit.
507. Iura dabat legesque viris, operumque laborem
508. partibus aequabat iustis, aut sorte trahebat:
509. cum subito Aeneas concursu accedere magno
510. Anthea Sergestumque videt fortemque Cloanthum,
511. Teucrorumque alios, ater quos aequore turbo
512. dispulerat penitusque alias avexerat oras.
513. Obstipuit simul ipse simul percussus Achates
514. laetitiaque metuque; avidi coniungere dextras
515. ardebant; sed res animos incognita turbat.
516. Dissimulant, et nube cava speculantur amicti,
517. quae fortuna viris, classem quo litore linqunt,
518. quid veniant; cunctis nam lecti navibus ibant,
519. orantes veniam et templum clamore petebant.
520. Postquam introgressi et coram data copia fandi,
521. maximus Ilioneus placido sic pectore coepit:
522. “O regina, novam cui condere Iuppiter urbem

523. iustitiaque dedit gentes frenare superbas,
524. Troes te miseri, ventis maria omnia vecti,
525. oramus, prohibe infandos a navibus ignes,
526. parce pio generi, et propius res aspice nostras.
527. Non nos aut ferro Libycos populare Penates
528. venimus, aut raptas ad litora vertere praedas;
529. non ea vis animo, nec tanta superbia victis.
530. est locus, Hesperiam Grai cognomine dicunt,
531. terra antiqua, potens armis atque ubere glabrae;
532. Oenotri coluere viri; nunc fama minores
533. Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
534. Hic cursus fuit:
535. cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion
536. in vada caeca tulit, penitusque procacibus austris
537. perque undas, superante salo, perque invia saxa
538. dispulit; huc pauci vestris annavimus oris.
539. Quod genus hoc hominum? Quaeve hunc tam barbara morem
540. permittit patria? Hospitio prohibemur arenae;
541. bella cient, primaque vetant consistere terra
542. Si genus humanum et mortalia temntis arma,
543. at sperate deos memores fandi atque nefandi.
544. “Rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter
545. nec pietate fuit, nec bello maior et armis.
546. Quem si fata virum servant, si vescitur aura
547. aetheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris,
548. non metus; officio nec te certasse priorem
549. paeniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes
550. arvaque, Troianoque a sanguine clarus Acestes.
551. Quassatam ventis liceat subducere classem,
552. et silvis aptare trabes et stringere remos:

553. si datur Italiam, sociis et rege recepto,
554. tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus;
555. sin absumpta salus, et te, pater optime Teucrum,
556. pontus habet Libycae, nec spes iam restat Iuli,
557. at freta Sicaniae saltem sedesque paratas,
558. unde huc advecti, regemque petamus Acesten.”
559. Talibus Ilioneus; cuncti simul ore fremebant
560. Dardanidae
561. Tum breviter Dido, vultum demissa, profatur:
562. Solvite corde metum, Teucri, secludite curas.
563. Res dura et regni novitas me talia cogunt
564. moliri, et late fines custode tueri.
565. Quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem,
566. virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?
567. Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni,
568. nec tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe.
569. Seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva,
570. sive Erycis fines regemque optatis Acesten,
571. auxilio tutos dimittam, opibusque iuvabo.
572. Vultis et his mecum pariter considerare regnis?
573. Urbem quam statuo vestra est, subducite naves;
574. Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.
575. Atque utinam rex ipse Noto compulsus eodem
576. adforet Aeneas! Equidem per litora certos
577. dimittam et Libyae lustrare extrema iubebo,
578. si quibus eiectus silvis aut urbibus errat.”